



Vitrioli occasione , ad vegetabilium salia proprius accedit.

### CAPUT XVII.

Qua plurimum diuersa sunt, maxime concordant.  
Hippoc. lib. 1. de diata.

**D**ixi neque acidum , neque salsum , neque ullum aliud saporem vitriolum destruere , nisi alcalia : sed succus ex gallis immaturis , coit cum vitriolo in nigrum , destruit & absorbet eius acidum , adeoque hic succus erit ex alcalibus . Hoc modo fiunt atramenta , & omnes tincturæ nigræ : imo quando vitrioli aciditas , cum gallarum alcali , præsufficiens , non combibitur , ( quod sit quando gallæ nimis maturæ , & à pluuiâ abluuntur . ) tunc alcali expirat , sicut omnibus vegetabilibus contingit , ut postea suo dicetur loco ; tunc vitriolum erodit panna , unde fiunt quasi marcida , vulgus clami-

*Hippocrates Chymicus.* 119  
tat: la roba è brusada nella tinta.  
Sic etiam litteræ scriptæ atra-  
mento , dictis gallis cocto pal-  
lescunt , quia præualens aciditas  
vitrioli, gallarum debile alcali à  
pluua ablutum consumit; eodem  
modo , ut acidus spiritus quilibet  
scripturæ oblitus statim nigrum  
colorem ( id est alcali ) destruit &  
absumit , quem rursus aliud al-  
cali fixum reducit.

Sic v. gr. scribito cum aqua ;  
in qua vitriolum ferreum sit solu-  
tum , cùmque exaruit , nec scrip-  
turæ vestigium apparebit , obline  
scriptum gallarum simplici infu-  
sione ; & in momento harum al-  
cali , scripturam nigrantem red-  
dit , quæ cum acido potenti , vel  
aquâ forti statim deletur ; alcali  
niinitum ab acido consumptu:  
Rursus imbue chartam cum al-  
cali fixo , quod iterum adsumit  
acidum , & iterum apparebit scri-  
ptura. Ex dictis nunc patet , quod  
vitriolum non tingit nigrum ,  
nisi acidum eius , alcali quodam  
sit absumptum.

*Scriptogra-  
phia funda-  
mentum.*

Galla-  
rum alcali.

Vt autem gallarum alcali fiat perfectius, perunge saltem gallas pinguedine vel oleo quodam, occulta huius aciditas peruadit gallas, sub lento calore cinerum, ibidem in ollula positas, relinque ibidem, donec gallas videbis nigriores, non autem ita vt sint reductæ in carbones; tunc verò alcali eorum erit tingendo promptius, & huiusmodi vstæ vncia magis perficit, quam aliæ libra, imò per se tingit, eò quod acidum pinguedinis in eius alcali per ignem egit.

Cortices  
granato-  
rum.

Simili alcali volatili & occulto, abundant quam plurima vegetabilia, vt sempervivum maius, salvia, granatorum cortices; quæ omnia vitrioli acidum absumunt, & colcotar dejciunt in plus minusve nigrum.

Princeps quidam magni nominis, naturæ mysteria magno studio perquirens, mirabatur valde, cùm audiuisset quod domesticella quædam ex Gineceo in aula sumpsisset per os granatorum

rum cortices, qui astringere universaliter iudicantur; nihilominus in illa menses per multum tempus deficientes prouocaverant: cui cum ostendissim copiosum alcali quo scatent dicti cortices, & etiam mensium obstructionem, originem traxisse ex acido morboso, quod alcali corticum absorpscerat, a mirari desisti.

Notandum, quod vitriolum artificiale lazureum, quod cypri-  
cum falso appellant, cum gal-  
lis licet tostis non nigrescit, sed  
cum cotticibus granatorum tin-  
git obscure flauum. Fit autem ex  
cupri braeis, per spiritum sul-  
phuris, aut vitrioli vulgaris, qui  
ambo in frigido coagulantur in  
lapillos oblongos angulares,  
difficile resolubiles ac distillatio-  
nibus inutiles, eò quod cupreo  
sulphure planè destituitur; hoc  
autem cum urina viridefcit, &  
cum alcali urinæ deiicitur in fun-  
dum lazureum, qui per fusio nem  
in cuprum redit.

a permixta  
& discreta  
alterantur.  
Hip. lib. de  
dieta.

Cypri-  
cum  
sulfurum fit  
ex capro.

*Aerugo  
distillata  
dat ace-  
cum.*

Sic etiam ærugo ( quatenus ex maturo cupro & aceto ) non nigrescit cum gallis, sed fit spadicei coloris : bonâ veniâ Reformatoris , scio atque comperio exinde nihil nisi acetum distillari eò quod remanens caput mortuum , post distillationem , in purum cuprum ex fusionis igne reducitur , de quo posteà plura.

*Alexij  
secretum,*

Vnde liquet , quod neque æs vstum cum tostis nigram tincturam producit , vt Alexius Pedemontanus promittit ; quo processu mulierculæ huius regionis se anxiè torquent , ad capillos denigrandos ; quicquid enim hæc compositio tingit , fit solis gallis tostis , & minimè æs vstum huic quicquam contribuit.

*Hic etiam  
Metaphora  
de Veneris  
& Maris  
concubitu,  
non inepte  
quadrare  
videtur.*

Sed vitriolum cypricum , est verè hermaphroditicum , & naturalis acidi , & cuprei sulphuris ditissimum , ob id semper humidum , & nunquam per se in lapillos concrescit , promptissimè ob illud idem cum gallis nigrescit ; pro signo , quod Veneris &

Martis naturæ sit particeps (vitriolum enim Veneris, sine Marte, cum gallis non nigrescit, ut ostendi) Ferrum enim & cuprum, sanguine & nativitate sunt coniuncta, ut mas & fæmina; hoc arcanum, inquit Basilius, a debetis tacere, & tamen notare, plurimum enim interest. Hoc vitriolum in aqua solutum, est fulvi coloris; in illo si dissolvitur æs vatum, vel cupri lamina, vel ferrum, tunc in lapillos concrescit, fitque vendibile, medicinis tamen inferior.

Album illud de Goslaria, ut & illud de Carinthia, participant quidem de Marte & Venere, non tamen sunt diuites acidi naturalis, ob id admodum pigrè nigrescunt cum gallis: guttula huius soluti cum gallis mixta, cadens supra chartam facit iridem varijs coloris, postquam exaruit.

Vitriolum verò Romanum, quod ferro est ditissimum, licet pauper spiritu, tingit promptè, ferri ratione.

<sup>a De Vi-</sup>  
<sup>triolo.</sup>

<sup>Vitriol-</sup>  
<sup>lum album.</sup>

<sup>Romanum.</sup>

*Martis  
artificiale.*

Sic Martis vitriolum artificiale, quod fit ex ferri limatura cum spiritu vitrioli, vel Sulphuris, eadem promptitudine tingit; adeoque tinctores, in defectu vitrioli dulcis, humido & per consequens acri addunt ferri limatram, quam rodit, & vitriolum dulcescit.

*Crocus  
Martis So-  
lubus.*

Sic & *Crocus Martis* ( qui fit ex artificiato vitriolo in cooperio crucibulo ignitus, donec rubescit ) solutus cum spiritu salis, ac digestus cum spiritu vini, acquirit aureum colorem, fitque nobile medicamentum. Huius soluti gutta saltem, in uncia media decocti, vel extracti gallarum, completissimum fit nigrum; effunde illud nigrum, & aquâ clarâ ablue vasculum; haec ablution tibi dabit Ametisti colorem. Guttula prioris in charta, post exsiccationem spontaneam facit colores varios, ut Pauonis cauda; curiosis oculis valde delectabile.

His periucundis experimentis

olim cùm insudarem, vidi digi-  
tos, colore purpureo tinctos, si-  
cut contingit ex auro soluto in  
regia aqua, perseverauitque tin-  
ctura per aliquot dies; hanc Ba-  
silius *sanguinem Veneris*, &  
*Martis* appellat, & non sine ra-  
tione, eandem accuratè obser-  
vari, & taceri iubet.

Aurum aquâ regiâ corrosum,  
ac in vitrioli formam coagula-  
tum, tingit, ut dixi, digitos pur-  
pureo colore, & cum gallarum  
infusione, fit instar succini flavi  
liquor, quo cum larga manu o-  
bline chartam; post exsiccatio-  
nem lucet ut vernix.

Argentum in aqua forti corre-  
sum, ex nitro & alumine cum  
gallarum infuso, non mutat na-  
turam; cum hac mixtura, si  
scribitur in charta, post biduum.  
quælibet littera nigra, argenteo  
& splendente filo est circumda-  
ta, quod sine alcali non contin-  
git: hinc rarus ille Vir non in-  
telliget, quare metaphoricè au-  
rum masculum, & argentum

*Sanguis  
Veneris &  
Martis.*

*Aurum.*

*Argen-  
tum.*

fæminam vocarunt Veteres nostri : gutta huius soluti , si largâ manu in chartam cadit , dicit post argenteum filum, alium castanei coloris , quasi studio ita depictum esset , amœno spectaculo,

*Stannum  
plumbum.*

Stannum ut & plumbum, in sal vel vitriolum redactum , cum gallorum succo , sicut & cum omnibus alcalibus, sit niueus fundus , id est , alcali gallarum combibit acidum , & metallum petit fundum : in auro autem non ita , neque in argento , neque in cupro , &c.

*Mercu-  
rius.*

Mercurius cum acidis solutus & recoagulatus , cum dicto gallarum succo , segniter flauescit aurum imitans quod notandum.

*Non  
sunt lo-  
quela. &c.*

Ex septem metallis igitur in acido solutis , ferrum & argentum cum gallis tingunt colore nigro , imò argentum etiam sine gallis : & nigredo apparet, postquam acidi spiritus deficiunt. Reliqua metalla , licet soluta & recoagulata , vitrioli facie ludunt;

tamen vitrioli actiones non endunt. Causam perpende si potes, eam enim scire non iniucundum est.

Spiritus semi-acido-salsus, di-  
stillatus ex Capite mortuo, ex  
tartaro & sale armoniaco, cum  
bolo armeno commixtus erat,  
de quo supra; hic spiritus in mo-  
mento cum gallarum succo viri-  
descit: ex hoc didici, quod bo-  
lus necessario continere debeat  
immaturum cupreum semen,  
quod dictus spiritus secum ra-  
puit in ignis tortura. Cupreum  
dico semen, nam vitriolum ex  
cupro factum cum spiritu vitrioli,  
cum gallarum succo præcipi-  
tatum, eodem colore viride ap-  
paret, ut supra ostendi; cum ve-  
ro ex bolo communi tunc nigri-  
cat.

Vnde liquet quod sat volatile, <sup>Nigri</sup>  
vel alcali gallarum, vel corti-<sup>coloris fun-</sup>  
cum granatorum, vel herbarum  
vulneratarum non tingunt colo-<sup>damentum.</sup>  
re nigro, nisi cum ferro, in mi-  
nerali acido soluto.

Aliud notabile, quod natura-  
lis acidus spiritus purus, non à  
quoquo acquiri aut haberi po-  
test, nam distillatus ex vitriolo,  
& vt cunque rectificatus, nun-  
quam deserit metalli liquamen,  
neque ab eo præcipitari potest  
vlo alcali, vulgari modo, in  
his nimis rursus se vestit no-  
uo corpore, reditque in illud  
quod erat, ut suo loco ostendi:  
Paracelsus tamen quodammodo  
purum laudat illum, propè Pa-  
gulum Veltin in Helvetia, ut  
alibi designauit.

Huc pertinet impostura quam  
Reformatoꝝ pro Magisterio se-  
minum Kermes venditat a, quod  
tamen nihil aliud est, nisi alca-  
li aluminiꝝ, quod ex ipsis granis,  
metu vacui, acidum occultum  
soipsit, quatenus proprium aci-  
dum, in alcali tartari perdidit.

a Pharmac.  
Regia, fol.  
313.